

1587 *gationem conferat, non sibi detractum existimet? In magistratibus eligendis ordinem a Republica servari; præfigi competitorum nomini ante gestorum magistratuum titulos, ut tanquam per gradus cives a minoribus ad majores subvebendos significet: in Continentis præconsultorum ordinem Mocenicum cooptet; eo satis sibi facturam, legationemque admissurum. Inusitata atque insueta Henrici postulata Patribus visa, quæ si semel admitterentur, gravia in Rempublicam incommoda irreperent: liberam magistratuum legationumque electionem omnino servandam esse censent. Itaque Senatu consulto Regi responsum. Nisi de majorum institutis, de Reipublicæ forma, de magistratuum creandorum legibus ageretur, libenter ei Senatum gratificaturum; sibi vero suadere, justis Reipublicæ rationibus perpensis, quæ acta sint, equi bonique consulturum. Hæc a Joanne Delphino gravi oratione enuntiata, tandem Henricum, ut legatum admitteret, perpulere. Eodem tempore, genio veluti quodam Gallis adverso excitus Philippus, summo studio Venetos sibi conciliare studebat; quod Hieronymus Lippomanus, qui præcipuam inter christianos Principes apud Cæsarem legationem obiverat, ad se orator missus esset, magnificere; ædes quoque, quas oratores Veneti in posterum incoherent, Senatui dono dare. Pipperis insuper, quod ex India Ulyssipponem importabatur, commercia communicaturum sese offert; id Venetis navibus in urbem invectum, magno publicorum vectigalium incremento privatorumque compendio, per omnem Europam dispergi posse. Ingentes ob hæc gratiæ Regi agebantur; verum quominus pipperis negotium perficeretur, multa obstitere, atque id in primis, ne cives lucri cupidine illecti, aliquando (ut plerumque degenerant animi) privatas publicis rationibus anteferrent.*

*Senatus
responsio
Henricus
de senten-
tia de-
cens Moe-
nicum ad-
mittit.*

*Philippus
Regis pro-
pensi animi
erga Vene-
tos signifi-
cationes.*

*Henricus
Regis &
Ugonotrarum
bellicis
apparatus.*

At majoribus curis tunc Henricus abripiebatur, metu ac spe in Gallia cuncta versante: magnus militum delectus in Germania habebatur: Angliæ Regina, Germanique Principes Navarræ Regi ac Condæo auxilia pollicebantur. Henricus contra a foederatis impulsus, omne studium in domesticis atque externis copiis cogendis adhibebat, cum ut Germanis aditum in Galliam intercluderet, tum ut in Aquitania Pictonibusque